

**Glossomantia sive de signis a lingua depromendis : dissertatio inauguralis
medica ... / auctor Henricus Fridericus Münnich.**

Contributors

Münich, Heinrich Friedrich.
Friedrich-Wilhelms-Universität Berlin.
Royal College of Surgeons of England

Publication/Creation

Berolini : Typ. Augusti Petschii, 1830.

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/bycxgf9s>

Provider

Royal College of Surgeons

License and attribution

This material has been provided by The Royal College of Surgeons of England. The original may be consulted at The Royal College of Surgeons of England. where the originals may be consulted. This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

GLOSSOMANTIA
SIVE
D E S I G N I S
A LINGUA DEPROMENDIS.

DISSERTATIO
I N A U G U R A L I S M E D I C A,
QUAM
CONSENSU ET AUCTORITATE
G R A T I O S I M E D I C O R U M O R D I N I S
IN
UNIVERSITATE LITTERARIA FRIDERICA GUILIELMA,
PRO SUMMIS
I N M E D I C I N A E T C H I R U R G I A H O N O R I B U S
RITE OBTINENDIS
D I E X X . M . M A R T I I A . M D C C C X X X .
H. L. Q. S.
PALAM DEFENSURUS EST
AUCTOR
H E N R I C U S F R I D E R I C U S M Ü N N I C H
OSCANIENSIS.

OPPONENTIBUS:
E. SCHMIDT, MED. ET CHIR. DR.,
A. DAVID, MED. ET CHIR. DD.,
J. MARCUS, MED. ET CHIR. CAND.

BEROLINI,
TYPIS AUGUSTI PETSCHII.

ДЕЯНИЯ ПОСЛАНОВІ

СЛІВО ВІД СВЯТИХ АПОЛІОНІ
І АНДІІ

ІІІ. DISSEMINATIO

ІІІ. INAGUARALIS MEDICUS

ІІІ. CONFESSIONE AEGYPTIACAE
ІІІ. CONFESSIO TRINITATIS

ІІІ. CONFESSIO TRINITATIS CATHOLICÆ
ІІІ. CONFESSIO TRINITATIS CATHOLICÆ

ІІІ. CONFESSIO TRINITATIS CATHOLICÆ
ІІІ. CONFESSIO TRINITATIS CATHOLICÆ

ІІІ. CONFESSIO TRINITATIS CATHOLICÆ
ІІІ. CONFESSIO TRINITATIS CATHOLICÆ

ІІІ. CONFESSIO TRINITATIS CATHOLICÆ

ІІІ. CONFESSIO TRINITATIS CATHOLICÆ

ІІІ. CONFESSIO TRINITATIS CATHOLICÆ
ІІІ. CONFESSIO TRINITATIS CATHOLICÆ

ІІІ. CONFESSIO TRINITATIS CATHOLICÆ

ІІІ. CONFESSIO TRINITATIS CATHOLICÆ

ІІІ. CONFESSIO TRINITATIS CATHOLICÆ

ІІІ. CONFESSIO TRINITATIS CATHOLICÆ

ІІІ. CONFESSIO TRINITATIS CATHOLICÆ

ІІІ. CONFESSIO TRINITATIS CATHOLICÆ

ІІІ. CONFESSIO TRINITATIS CATHOLICÆ

ІІІ. CONFESSIO TRINITATIS CATHOLICÆ

V I R O

ILLUSTRISSIMO, AMPLISSIMO,

UNIVERSITATIS LITTERARIAE BEROLINENSIS
ORNAMENTO

E. D. AUG. BARTELS

MFDICINAE ET CHIRURGIAE DOCTORI, MEDICINAE PROFESSORI PUBLICO ORDINARIO, INSTITUTI CLINICI MEDICI DIRECTORI, REGI A CONSILIIS MED. INTIMIS, COLLEGII MEDICO - TECHNICI PRIMARII MEMBRO, ORDINIS LEONIS AUREI HASSIACI EQUITI, PLURIUM SOCIETATUM LITTERARIARUM SODALI ETC. ETC.

PRAECEPTORI

SUMMOPERE COLENDO

PATRONO DE SE MERITISSIMO

NEG NON

V I R O

HUMANISSIMO, MAXIME VENERANDO

H. J. L. BLAU

OB EGREGIAM IN SE BENEVOLENTIAM

HAS

STUDIORUM PRIMITIAS

PIO GRATOQUE ANIMO

AUCTOR.

О И Т О У Ч О Н Т И Й

P R A E F A T I O.

A *Glossomania* conscribenda me detergere librorum de semiotice agentium numerus fere ingens non potuit. Persuasum enim habeo, unamquamque doctrinam multum esse profec-
turam, si singulis ejus partibus contigerit, qui eas quam accuratissime persequatur. Tantum quidem abest, ut me materiae propositae tractandae parem existimen, ut potius nihil nisi vi-
rium exilitas esset, qua deterritus hoc opere ab-
stinuisse. Neque magis me fugit, ad materiam illam sufficienter tractandam, ubera opus esse experientia, qua egomet, artis medicae tiro, non-
dum gaudeo. Nihilo secius hoc opusculum lec-
torum judicio intrepido animo tradidi, tum quod eum probe scio non sine merito fecisse, qui, quae praeclari viri passim docuerunt, in unum locum contulerit, tum lectorum benevolentia fretus, quae ut his studiorum primitiis contingat, ex toto opto animo.

INTRODUCTIO.

Quomodo singula organismi systemata sint affecta, ex phaenomenis, quae in organis externis apparent, observanti manifestatur. Nervorum systematis affectiones per coenaesthesia et per sensuum organa, praecipue per oculum, se ostendunt; irritabilitatis vel excitationem vel depressionem cordis actio per pulsum neque minus muscularum motus indicant; reproductionis sistema lingua certissima quasi indice utitur. Linguam autem cum multis haud mediocribus viris in plurimis morbis ceteris organis majoris momenti esse censeo, cum per eam omnia systemata, quomodo se habeant, cognoscantur. Ex hujus sententiae auctoribus prae omnibus ceteris *Georg. Baglivi* nominaverim, qui: „Demum, ait, pro secreto tibi sit, Lector, me certiorem de sanguinis statu indaginem aliunde non haurire, quam ex lingua.” Ad hanc sententiam accedunt. *Boehmer*¹⁾: „Si quid medico, artem facienti, curae esse debet, sane nihil magis est, quam inspectio linguae” et postea²⁾: „Si dignitatis rationem habuisse, utique ante omnia de lingua, ceteris adhibendorum signorum adminiculo celebriori, mihi agendum fuisset” idemque se malle omni fere alio signorum adminiculo ca-

¹⁾ *G. N. Boehmer* resp. *Hartmann*: Dissert. de stomatoscopia medica. (*Schlegel* thes. semiot. Vol. II. 8, pag. 247.)

²⁾ pag. 265,

rere, quam linguam non inspicere, toties asseveravit, quoties hac de re sermo incidit. *Van Swieten*¹⁾: „Medici prudentes nunquam ab aegris discedunt, nisi prius inspexerint oris interna et linguam.” *Aretaeus*²⁾: „Haec enim (lingua) omnia interna significat.” Neque igitur immerito *Casulanus*³⁾ linguam signum morborum acutorum minime fallax judicat, neque *Sander*⁴⁾ repudiandus est, qui ad morbos cognoscendos linguam potius, quam pulsum valere contendit. Quamquam monendum est, nonnisi ex signis, a lingua repetitis, cum aliorum organorum signis evidentibus comparatis, certitudinem quam maximam nasci.

Glossomantiam censeo universa signa completi, quibus lingua corporis statum indicet, ideoque non ea tantummodo, quae oculis sint percipienda sive objectiva, sed illa etiam in hoc opusculo esse tractanda, quae nonnisi ab ipso aegro sentiantur sive subjectiva. Signa igitur, a lingua depromenda, persecuturus, primum ea tractabo, de quibus medicus nonnisi ab aegroto fit certior; sequentur symptomata, quae medicus suis vel oculis vel manibus percipit. Primum igitur de gustu et sensationibus in lingua, deinde de colore, de motu, de habitu linguae agam.

¹⁾ Comment. ad *Boerhaavii Aphorismos*. §. 85.

²⁾ De curatione morborum acutorum. lib. II. Cap. 3. ex emendatione Petiti.

³⁾ Prothus *Casulanus*: De lingua, quae maximum est morborum acutorum signum. Florent. 1621.

⁴⁾ *Hippocrates*, Magazyn toegewyd van den gebelen omvang van de Geneskunde, beschouwd als wetenschap en kunst o. *Sander* u. *Wachler*. Rotterdam 1815. 3s Hft.

I. SUBJECTIVA EX LINGUA SYMPTOMATA.

1. DE GUSTU.

Bene quidem scio, gustus mutationes, cum nervorum vis potissimum in eas valeat, in eam removendas esse semiotices partem, quae sensorii communis et nervorum actionis turbationibus addicta est; attamen ut ad signa ex lingua eas referam, id me impulit, tum quod plurimae gustus abnormitates a reproductionis turbationibus proficiscuntur, quippe quae per consensum in sensorium commune efficiant, tum quod illustrissimos viros, linguae signa tractantes, gustus rationem quam maximam habere video.

Non alienum videtur, de gustu in universum pauca disserere, quo facilius abnormitates ejus explicentur. Per unam linguam gustus efficitur isque per nervorum in ejus superficie papillas — Aliae oris partes, e. g. labia, quibus *Luchtmans*¹⁾ gustandi facultatem tribui volebat, minime gustant, quia papillis carent et palatum molle, quod *Daniels*²⁾ gustus organon judicat, nihil nisi olfactus sensationem efficit, quia immediata ei est cum nasi cavitate communicatio. Anterior linguae pars posteriore acutius gustat et nonnunquam posterior pars alium quam anterior saporem percipit, id quod haud scio an ex nervi lingualis et nervi glossopharyngei antagonismo oriatur. Neque tamen infitiandum est, salivam etiam ad gustum procreandum conferre, cum lingua arida parum vel nihil gustet, quamquam pleraque corpora, in saliva solubilia, e. g. aqua destil-

¹⁾ De saporibus et gustu, Lugd. Batav. 1758.

²⁾ Gustus organi novissime detecti prodromus, Magunt. 1790.

lata, nullum efficiunt saporem. Corpora igitur saporem edunt, cum, in saliva aut tota aut particulatim soluta, linguam sanam tetigerunt et sapor diversus, per diversum galvanismi et electricitatis impulsu effectus, non a nervorum solum affectione, sed a salivae etiam mutatione originem dicit.

Treviranus ¹⁾ gustum ex papillarum resorptione explicare conatus, hanc rem non satis illustravit, quamvis eo niti possit, quod esurientis papillae erectae apparent. *Linnée*, cui „sapida in fibras, olida in nervos agunt” placebat, erroris convincendus est, cum, si illud verum esset, aliae etiam partes musculares gustarent aliaeque praeter nasum partes odorem perciperent. Neque magis *Bellini* assentiendum est, qui varium saporem ex variis corporum formis oriri docet, nam multa corpora ejusdem formae diversum saporem habent, dum plerique corpora, diversa forma praedita, simili sunt sapore. Qualis vero subsit causa, qua aliud corpus alium saporem habeat, adhuc non satis explicitum est neque ad propositum meum pertinere arbitror, quo ut explicem operam dabo, qualem ad morbos dignoscendos significationem habeat gustus alienatus, h. e., si corpora sapida alium, quam sanis hominibus, saporem exhibent.

Gustus abnormitates, quae morbis dignoscendis inserviunt, sunt:

G. nimis auctus, quo lingua materiis blandis vel insipidis vehementius afficitur. Quemadmodum aucta ceterorum sensuum actio, ita gustus etiam nimis auctus nervorum, in primis gustui inservientium, irritationem indicat aut localem, plerumque inflammatoriam, linguae affectionem. Tum in acutis, tum in chronicis morbis occurrit, in illis magis timendus, in utrisque molestus et nocuus, cum haud raro impedit, quo minus medicamenta idonea adhiberi possint.

G. hebes et deficiens a nervorum vi debilitata vel prostrata oritur, a salivae inopia, a muci vel linguae squaloris abundantia, ab organicis n. lingua-

¹⁾ Biologie VI.

Iis aut n. glossopharyngei aut ipsius linguae vitiis. Ita *Swan*¹⁾ narrat, hominem quendam, lingua dentibus vehementer vulnerata, gustu protinus privatum esse. In catarrhis vehementioribus praecipue observandus est, quoniam in iis universus n. trigeminus affectus est, cuius ramus tertius linguae multos nervos praebet. Si, ceteris morbi cujusdam symptomatibus submotis, gustus adhuc deficit, recidivum est timendum aut secundarium malum; causa evidente neque antegressa neque adhuc efficiente, gustus deficiens delirii signum est; diuturni gustus defectus sequela paralysis esse solet. Interdum, praecipue in febribus acutis, gustus defectus est salutaris, tum quod sensibilitas minus excitatur, tum quod cibi cupiditas tollitur²⁾.

Gustus alienatus s. corruptus ex causis aut materialibus aut dynamicis nascitur. Secretionem in lingua corruptam indicat, a qua universae humorum copiae corruptio conjici potest. Plerumque igitur, gustu hac re alienato, glutinum tenax et varie tinctum linguae superindutum est; affectiones gastricae et catarrhales tali modo gustum alienant. Dynamica ratione gustus alienatio ex nervorum affectione, tum locali, tum universalis, oritur, nam vel linguae nervi incitantur et alienantur, vel universum nervorum systema affectum est, in primis, si lingua pura ejusque superindumentum normale est. Febris nervosas anteit et comitatur et in paroxysmis hystericis et epilepticis adest, ita ut substantiae, gratum saporem edentes, ingratae evaserint et res injucundae suaves sint redditae. Gustus corruptus, ad normalem conditionem reversus, crisin et sanitatem pollicetur. Aliae gustus corrupti species alias indicant affectiones; omnes vero pro morborum symptomatibus habendae sunt, nisi rebus externis, quae linguam tetigerunt, originem debeant.

¹⁾ Ueber die Behandlung der Localkrankheiten der Nerven, a. d. Engl. v. *Francke*. Leipzig 1824. S. 11.

²⁾ *Gruner*. Semiotice, physiologicam et pathologicam generalis complexa. Halle 1775. S. 253.

G. ingratus certam affectionem non indicat, cum non certa sit sensatio, neque quidquam dici potest, nisi ab eo, sine causis externis orto, digestionem laesam plerumque ostendi.

G. amarus fere semper cum flavo linguae squalore consociatus, in primis quidem bilis vitia enunciatur neque vero, cum symptomata ex lingua non solum digestionis morbos prodant, ex gustu amaro semper biliosa morbi indoles conjici potest. Bilis abundantiam et corruptionem indicat et si pressus in praecordiis simul adest et ructibus iteratis gustus amarus augetur, bilis in ventriculum redundantiam suspicari licet. Ictericos igitur vexat et qui febre biliosa laborant et semper incidit, ubi intestina coquinata sunt; in acutis etiam morbis non minus sentitur et tum a secretionibus vehementiore humorum circulatione commutatis efficitur; pari modo vehementes animi affectiones, quae humores velocius circumagit, gustum amarum reddunt; hepatis vel irritatio, vel inflammatio, quam bilis corruptio aut copiosior secretio comitatur et sequitur, gustus amari non rara causa est. Praeterea pinguedinem corruptam et rancidam significare dicitur¹⁾ et morborum nervosorum chronicorum paroxysmos interdum comitatur. *Huxham*²⁾, qui ex gustu amaro morbos futuros praenuntiatur erat, saepe certe errabat. Si gustus amarus simul aeruginosus est, inter male judicati morbi et reversuri indicia habetur, nisi materia residua expellatur³⁾.

G. acidus ex succi gastrici nec non bilis acescentia nascitur, quae aut a substantiis ingestis acidis aut a perversa nervorum in organa secretoria efficientium actione derivanda est; porro turbata vasorum lingualium secretio et acida humorum in lingua degeneratio eum efficiunt. Nervorum igitur non minus quam digestionis systematis morborum index est; namque in plerisque febribus nervosis acutis

¹⁾ *Gruner* l. c. S. 254.

²⁾ *Observationes de aere*, Leipzig 1740. S. 246.

³⁾ *Gruner*, l. c. *Gorter*, *Praxis*, T. II. S. 18.

adest, in arthritide atonica, in hypochondriasi, in paroxysmis hystericis et in similibus affectionibus. Gustus acidus et quasi salsus, cum quo sputa ferruntur, haud raro salutarem mali finem designat¹⁾.

G. salsus ex degeneratione quadam humorum natus, morborum chronicorum diurnitatem, acutorum brevitatem designat. Si in quoquam morbo, in pulmonum affectionibus animus ad eum attendendus est, cum, sputis salsis simul ejectis, spe teneri liceat, fore ut morbus demum resolvatur.

G. dulcis sanguinem praecipue ex pulmonibus per os efferendum praenunciat, si aeger vaporem calidum ex thorace surgentem sentire sibi videtur et plerumque diaphragma sursum vehitur, perinde ac si vomitus immineret. Pneumonorrhagia saepe salutaris est, si vis naturae medicatrix sanguinem abundantem ex pulmonum vasis nimis infaretis ejicere conatur aut si pulmones sanguine superfusi, quo minus libere respirent, impediti, ab hac mole liberantur. Quae cum ita sint, iste gustus dulcis non semper signum timendum est, multo plurimis vero casibus pneumonorrhagia a conditione pulmonum phthisica vel a vitiosa pulmonum thoracisve structura vel ab affectionibus violentis externis vel a vasis ruptis nascitur, vel, si alia profluvia sive physiologica sive habitualia translata sunt in pulmones, quippe qui ab iis violentius afficiantur. Si tales sunt haemorrhagiarum e pulmonibus causae, gustus dulcis sollicitos nos reddit. Haematoemesi etiam imminentia, ille gustus percipitur una cum gastrodynia, cardialgia, vomituritione et sanguis plerumque per vomitum ejicitur.

G. metallicus s. aeruginosus praecipue a Sprengel²⁾ maximi momenti in febribus intermittentibus existimatur. Paroxysmos eum comitari docet, ultra paroxysmos etiam remanere, morbum recidivum praenuntiare et febrem intermittentem occultam (larvatum?) prodere. Qua ratione autem existat, ipse exponere nequit et in medio relinquit, an in omni-

¹⁾ Gruner I. c. Huxham I. c.

²⁾ Handbuch der Semiotik, Halle 1801. S. 343.

bus percipiatur febribus intermittentibus, cum suam experientiam ipse exiguum dicat neque ullum sententiae auctorem aut afferat aut afferre possit. Mercurio assumto, g. metallicus salivationem mox ingressuram praenuntiat.

G. foetidus, putridus, urinosus, superiore gradu *cadaverosus*, quo omnia aegro foetere videntur, summam humorum, tum in universo corpore, tum in lingua, corruptionem et decompositionem significat; gangraenam etiam partium internarum, imo pessima quaevis ex eo ominari possis, tum maxime, si ipsa medicamenta, cibos et potus hac de causa aegri fastidiunt atque respuunt¹⁾). Quodsi illis scriptoribus assentiendum esset, qui sanguinis putredinem adesse posse contendant, haud dubie ista putredo ex gustu putrido optime cognosceretur; cum autem, quem statum illi scriptores putredinem judicari volunt, nihil aliud sit, quam sanguinis decompositio, quae tantummodo ad putredinem vergit, quoniam partes vere putridas, i. e., mortuas, in se inesse, organismus vivus nunquam patitur, istius status, ad putredinem inclinantis, index gustus putridus est, id quod verisimile est *Grunerum* censuisse, g. putridum putredinem incipientem designare docentem. In scorbuto sentitur, in febre putrida et in similibus morbis. Minus est timendus, si ex perversa nervorum, in primis linguae, actione ortus est, e. g. in hysteria; auctus vero in hoc etiam casu nos sollicitare potest, cum delirio et insaniae plenumque antegrediatur.

G. insipidus, stramineus evenit, si vasa secretoria, quae sunt atonica, substantias lentas, mucosas in linguam ejiciunt. Ista vero substantiae, ab imperfecta chylificatione et ab universalis ergo succorum cruditate proficiscuntur, quare mucosum linguae, dentium, labiorum superindumentum hanc abnormis gustus speciem fere semper comitatur. Merito ex hac gustus anomalia diuturnitas et pertinacia morbi cuiusdam nec non crisis impedita conjicitur. In talibus igitur morbis accidit, in quibus vis reproducti-

¹⁾ *Gruner l. c. pag. 255.*

va justa non gaudet energia, in febribus nervosis lentis, in febribus pituitosis, in arthritide atonica, in scrophulosi, in phthisi pituitosa, in hydrope.

G. intolerandus, si cum parvo pectoris dolore est, vomicarum pulmonum apertarum signum esse solet. *Platner*¹⁾ locum pectoris dolentem aperuit et magna puris maleolentis copia effusa, *g. intolerandus* desiit.

2. DE SENSATIONIBUS IN LINGUA.

Lingua ardens et dolens organismum ad inflammationem inclinari indicat aut inflammationem jam vigere, qua sensibilitas aucta sit.

L. frigida longe periculosissima habetur, quia in morbis acutis et pestiferis mortem in propinquuo esse nunciat²⁾.

II. OBJECTIVA EX LINGUA SYMPTOMATA.

Quae symptomata objectivorum nomine induuntur, ea medico morbum multo magis illustrant, quam symptomata subjectiva, quippe quae ab aegrotis, qui sensationes clare prodere aut nequeunt aut nolunt, saepissime falsa indicentur, dum medicus, sua ipsius observatione nisus, multo certius de morbo potest judicare. Non praetereunda sunt in signis objectivis observandis illustris illius scriptoris³⁾ monita: „Quo majoris autem est momenti γλωσσομαντεια, eo diligentius etiam curandum est, ne quid in re tam gravi perperam fiat. Quare ante omnia eo nitendum est medico, linguam examinanti, ut morbi tempus, tempus, quo mutationes fiant, rationemque, qua mutationes aliae alias excipient, sedulo attendat, et ut hoc examen loco solis candelaeve radiis illustrato, non vero obscuro, aut crepusculo vel diluculo instituat, neque linguam arte vel casu inquinatam et coloratam aut diligentia repurgatam, sed qualem morbus fert, inspiciat.”

1. DE

¹⁾ *Zimmermann*, Ueber die Erfahrung. S. 283.

²⁾ *Gruner* l. c. pag. 604.

³⁾ *Boehmer* resp. *Hartmann*, De stomatoscopia, in *Schlegel* Thes. semiotices, pars II. pag. 248.

1. DE LINGuae COLORE ET OBTEGUMENTO.
(Belegung.)

Lingua rubra. Naturalis quidem linguae color rubor est, qui nihilo secius nos, ut pessima timeamus, adducere debet, si nimis floret. Sanguinis enim majorem ad caput impetum, stagnationem, inflammationem incipientem *l. praerubra* indigit, praesertim urina simul ignea, siti magna; imo vero ipsorum globulorum crux, motu intestino per quam concitato, dissolutionem tali lingua prodi docent, qui in rerum naturam penitus inquisivisse sibi videntur¹⁾. Propria est *l. praerubra* glossitidi, anginae, pneumoniae, exanthematibus, in primis erysipelati²⁾, eique maxime perniciosa, quia dijudicationis per secretiones, etiam in linguam, efficiendae spes tollitur et exanthema facillime retrogressurum suspicandum est. In scarlatina etiam, in culmine versante, *l. praerubra* cum papillis prominentibus conspicitur. Enteritidem lentam, quae, febre nervosa comitante, in exulcerationem abitura est, lingua rubra, pura, fissa, arida, omnium optime manifestat, id quod observandi occasio, duce Illustrissimo Bartels, non raro mihi contigit. Non minus febribus biliosis, quibus lingua obsita peculiaris est, *l. praerubra*, plerumque subito evadens, funesta existimatur, cum easdem, quas in exanthematibus, criseos turbationes manifestet; eadem de causa etiam in febribus nervosis lentis signum nequaquam laetum est.

*L. praerubra et tenuissima phthisicis diem supremum instare praenuntiare dicitur*³⁾

L. praerubra et arida, imo haud raro *splendens*, viribus simul prostratis, in febre putrida, in peste, in raphania deprehenditur, in quibus morbis interdum *cruenta* etiam, *ad radicem pustulis lividis obsita* appetet, qualem linguam in morbis acutis, maximeque in pleuritide, eamque periculosi morbi testem

¹⁾ Boehmer l. c. pag. 249.

²⁾ Selle, Medicina clinica, pag. 83.

³⁾ Friedreich, Handbuch der medicinischen Zeichenlehre. S. 186.

*Huxham*¹⁾ observabat. Longe aliter res se habet de *L. subruba*, quippe quae normalis sit, praecipue si simul madet, nam faustissimum eventum pollicetur, quia tum humores nocuos longe abesse, tum vasa secretoria justo gradu vigere testatur.

Alii linguae colores a variis ejus obtegumentis oriuntur, de quibus igitur in genere pauca disserere, non ineptum videtur. Haud dubie ista obtegumenta originem debent crudis humoribus excretis, quippe qui, cum majorem aut albuminis aut lymphae plasticae aut aliarum materiarum tingentium copiam contineant, ne rubra, qualis in sano statu est, linguae superficies eluceat, prohibeant. Vulgo lingua obsita sordium gastricarum signum creditur; quamvis vero saepissime status gastricus sic dictus per linguam obsitam se prodat, nihil minus semper eam, praesertim cum alia, quae dicuntur gastrica, signa desunt, illum statum indigitare dubitamus, magnum linguae cum omnibus fere organis consensum contemplantes et illustrissimorum virorum²⁾ sententias conferentes, qui, ubera experientia nisi, obsitam linguam unum statum gastricum significare negant. Lingua nimirum in febribus gastricis eo evadit impura, quod potentiae nocivae, in ventriculo et intestinis secretiones, quantitatis et qualitatis ratione mutatas, evocantes, in linguam etiam efficiunt. Si igitur aut istae potentiae tam exiguae sunt, ut intestina non transgrediantur, aut linguae consensus cum intestinis rebus quibusdam ignotis vel prorsus impeditus vel solito minor est, sordes gastricae linguam puram esse sinunt. *Stoll* lingua purissima, emeticis porrectis, morbum gastricum removit. Deinde aliorum organorum morbi, secretiones praecipue augentes, linguam etiam afficiunt, unde pneumoniae, exanthemata, febres catarrhales linguam inquinant et methodus antiphlogistica eam ab inquinamento liberat. Non minus hoc fortasse nostram sententiam adjuvat, quod multis ho-

¹⁾ Diss. de pleuritide. cap. 2.

²⁾ *Van Swieten*, Comment. ad aph. *Boerhavii*, §. 739, ubi *Helmontii* etiam sententiam affert.

minibus non aegrotantibus lingua obsita habitualis est, quae autem non majorem excitare potest sollicitudinem, quam excretio alvi aquosa habitualis, qua valetudo minime turbatur¹⁾; saepe denique secretioni in lingua auctae causa localis subest, e. c. aphthae erupturæ.

Obtegumentum, quod una cum hubecula in urina saturata et cum calido in tota cute vapore, in lingua, paullo ante pura et arida, apparet, morbi remissionem indicat, quare exanthematibus jam eruptis, postquam affectiones spasmodicae vehementes et periculosae antegressae sunt, talis lingua conspicitur. In illis vero morborum stadiis, quibus magnam virium vitalium contentionem vigere par est, lingua obtecta malum signum est, praecipue si in aliis organis secretoriis illa contentio adhuc remansit. In febribus inflammatoriis igitur, pulsu duro et celeri, cute sicca, urina ignea, linguæ obtegumentum vel malum exitum vel diuturnitatem certe morbi timentes nos reddit, nisi, quoniam alia adsunt gastrica signa, complicationem gastricam suspicari possimus. Praeterea de linguæ obtegumento judicantes, locum etiam ejus respicere debemus. Si tota lingua pariter obtecta est, copiosa quidem, aequalis tamen humorum secretio indicatur ideoque, quo ad diuturnitatem, meliorem prognosin admittit, quam si una pars obtecta apparet. Saepè linguæ radix, qua plurimae glandulae muciparae sunt accumulatae, muco superducta est, id quod, nisi forte supra modum est, sollicitare non potest. Lingua, si movetur, ipsa obtegumentum, nisi lenitus est, abstergit, quare saepe matutino tempore tota linguæ superficies, vespertino nihil nisi radix obtecta est. De obtegimento unilaterali infra dicam.

L. versicolor a vernice linguam obducente oritur, quam ab humoribus effici verisimile est, qui propter nimium impetum decomponi coepti sunt, unde variae eorum partes constituentes emineat et

¹⁾ Friedreich l. c. S. 497.

Sprengel l. c. S. 161.

istam colorum varietatem efficiunt. **Talis** scilicet lingua in morbis acutis invenitur, qui in febrem putridam sunt abituri; scorbuto etiam eadem de causa familiaris est.

L. alba a cruda humorum constitutione efficitur, qua materiae secretae nimiam muci crudi copiam continent. Minorem igitur vasorum secernentium energiam colligere possumus, si linguae color mere albus, quam si flavor est. Linguae albedo, quoniam mucus, id quod *Sundelin*¹⁾ bene demonstravit, assimilationis vitiatae est productum, morbos comitatur, aut a prava assimilatione profectos aut cum ea complicatos. Inter acutos morbos febris continua, pulmonum inflammatio ceterique pectoris morbi, cum infarctibus mucosis conjuncti aut in phthisin pituitosam propensi, febris putrida, in aphthas desinens, febris nervosa itemque rheumatismus et praeprimis catarrhus linguam albam tanquam comitem habent. Ex chronicorum vero morborum agmine in iis lingua alba fere nunquam desideratur, quibus dyscrasia subest, e. g. in arthritide, in hydrope. Album autem linguae obtegumentum non semper eadem est qualitate; interdum enim crustam crassam et lentam, viscidam, glutinosam sistit, ex qua vascula membranae externae impervia, siccata et rigida, salivam nullam vel valde immutatam colligi posse, *Gruner*²⁾ me docuit; interdum quasi farina vel caseo lardoque linguam obducit et tum nauseam, vomitum, alvi fluxiones continuas insequi et morbi augmentum vitaeque periculum summum timendum esse, ab eodem illo scriptore celeberrimo didici. Distinguenda praeterea sunt illa alba obtegumenta, quae unam solummodo linguae partem tingunt, qualia singularibus morbis propria sunt. Sic jam in praedictionibus Coacis³⁾ ex obtegumento albo unilaterali ejusdem

¹⁾ Berends Vorlesungen über practische Arzneiwissenschaft, herausg. v. Sundelin, 7ter Band oder Iter Supplementsbd. des Herausg. Berl. 1829.

²⁾ I. c. pag. 595.

³⁾ pag. 560.

lateris pulmonis inflammatio cognoscitur et *Sachse*¹⁾ obtegumentum album unilaterale, in primis si parum flavescat, phthisin laryngeam indicare docet, id quod observatione quadam, quam *Hennemann*²⁾ nobiscum communicat, confirmatur. Omnino obtegumentum unilaterale alterius corporis lateris affectionem prodere creditur, unde in hemiplegia, in hemicrania, in prosopalgia Fothergilii, in latere affecto obtegumentum linguae observatum esse traditur. *Autenrieth* ulcera syphilitica in faucibus suspicatur, si spuma alba, tenuis linguae radicem tegit. Dorsum linguae medium album, marginibus prae-rubris, iis familiare est, qui diabete melito conficiuntur.

L. flava s. crocea s. viridis Hippocratis substantias biliosas corporis humoribus immixtas indicat, quae si, quoniam earum secretio in hepate impedita est, apparent, icterus oritur. Quibus morbis humorum depravatio subest, in iis lingua flava, praecipue si antea alba erat, pulsus mollior evadit magisque regularis et cutis madescit, majorem humorum elaborationem significat ideoque prognosin meliorem reddit. In acutis vero morbis lingua flava, lento squalore obiecta, prognosin tristem praebet et in tales morbos valet *Casulani* dictum, a *Grunero* allatum: „lingua albida principium, pallida augmentum, flava statum manifestat.” Pneumonia vel pleuritis est biliosa, si jam ab initio lingua flava est; sin postea flavum colorem induit, hepar per consensum simul affectum significat, id quod nec morbi decursum nec medendi rationem potest mutare. Flavus linguae color, si urina simul turbidior, sitis major, cutis aridior est, ingentem febris biliosae impetum ejusque facilem in febrem putridam transitum praenuntiat. Qui penitus morborum decursum et naturam inspexerunt³⁾, haec do-

¹⁾ Beiträge zur genauen Kenntniss und Unterscheidung der Kehlkopfs- und Luftröhrenschwindsucht. Hannov. 1821.

²⁾ *Rust*, Magazin für gesammte Heilkunde. Band XVIII. Heft II. S. 308.

³⁾ Coac. praedict. §. 3. p. 587.

cent: Si lingua flava in principio acuti laterum doloris incidit, die septimo decernetur; at si die tertio vel quarto, tunc dies nonus decretorius futurus est.

L. brunea, fusca humorum secretorum, in primis, bilis, depravationem et fere decompositionem significat et vascula papillarum, ut ait *Gruner*, peregrina materia referta et halitu bilioso infecta esse. Illarum febrium nervosarum comes est, quarum transitus in febrem putridam instat et tum arida simul et fissa est. Praeterea chronicis iu ab domine stagnationibus familiaris est, ictero chronicō, haemorrhoidibus, arthritidi.

L. plumbea, si in hydrope observatur, mortem appropinquari medico indicare potest.

L. livida, coerulea, funestius etiam signum est in febribus inflammatoriis, nam gaugraenam incipientem prodit, quam mors mox secutra sit. Si una frigida, cum aphthis coeruleis vel nigricantibus appareat, pessimum exitum evitari non posse, extra dubitationem ponit.

L. nigra omnium pessima judicari solet, nec immerito, nisi ab externi aestnis effectu orta est vel quia lingua aeris atmosphaericō diu exposita erat; deinde, quoniam lingua nigra maximi in prognosin momenti esse potest, medico attentissime observandum est, an forte materiis linguae illatis color niger sit effectus. Quodsi res non ita se habet, sed iste linguae color revera a causis internis profectus est et, ut fit, vires simul profligatae sunt, actionem organorum secernentium plane deletam intelligimus et de aegroti salute desperamus, si post inflammations accidit. In dysenteria, in variolis gangraenam internam. si lingua nigra est, in dubium vocare non possumus; quamquam certissimus in morbis vates¹⁾ iudicationem die quarto et decimo futuram edocet eamque eo celeriorem, quo citius lingua nigrescat. In febribus acutis delirium, in febre putrida, si una sicca est et quasi paraly-

¹⁾ *Hippocrates Aphor VIII, 9;* de diēb. jud. §. 5; Coac. praed. §. 2.

tica, ita ut difficilime exporrigatur, exitium portentit. Neque raro post pulmonum morbos in iis a *Grunero* discimus, quos malus corporis habitus teneat, in extrema lingua materiam quandam nigrum et spongiosam remanere. Qui chronicis, praesertim viscerum abdominalium morbis laborant, ictero, e. g. hepatis ulcerationibus, intestinorum seirrhis, ii haud raro nigrum linguae obtegumentum ostendunt. Haud praetereundae sunt linguae nigrae varietates, quae periculum raro minus, fere semper majus portendunt.

L. nigra et pallida s. ex *pallida nigricans*, *l. nigra et viridis vel ex viridi pallescens*, omnium periculosissima tibi sit; *l. nigra et tremula* delirium inevitabile praesignificat; *l. nigra, sicca, scabra scissa* lethalis est.

2. DE LINGUA MOTU.

In linguae motum n. hypoglossus et n. glossopharyngeus vim habent eximiam, quo fit, ut ex motu linguae abnormi nervorum systema suspicemur correptum esse, aut a peculiaribus in ipsum illud affectionibus aut per consensum ab aliorum systematum morbis. Qua ratione per abnormem linguae motum vox mutetur et elocutio, ad glosso-mantium non pertinere videtur.

L. immobilis vel spasmi tonici est effectus, quo simul contrahitur (*l. contracta*) vel paralyseos et perfectae virium prostrationis, ubi sensu caret et pallida, resoluta est. Febre deficiente *l. immobilis* et *resoluta* apoplexiae est aut prodromus aut comes; sin febris adest, periculum instans, imo mortem appropinquantem nuntiat et perraro prohibendam, praecipue in provecta aetate. Cum linguae resolutione aphonia consociata esse solet, quae, si ab effectus gravitate et intensitate ad causae vehementiam valeat illatio, plus sane metus incutiat oportet¹⁾, nam aphoniā *Galenus*²⁾ docet mala non tantum instare, sed iam adesse significare et rem jam ad extrema redisse. In verminantibus quidem,

¹⁾ Bochmer l. c. pag. 267.

²⁾ Prorrheticorum text. 23 et 24.

hystericis, hypochondriacis, largiter sudantibus vel mingentibus aphonia cum linguae resolutione evenit, sed praeteriens neque perniciosa; sin autem cum febre vehementi, cum sudoribus frigidis, ustione interna, comate, catalepsia apparet, fere semper lethalis est; si prosperrime res procedit, manducandi et deglutiendi, nunquam vero loquendi facultas recuperatur¹⁾.

L. tremula, impotens artis medicae magistris inde ab Hippocrate maximi momenti videbatur. In eo omnes consentiunt, quod ab ea magnam nervorum et sensorii affectionem designari docent. Prorrhcticorum igitur auctor trementem linguam insipientis esse et virium vitae prostrationem haud contemnendam denotare profitetur; praeterea deliris et phreniticis eam propriam esse, *Hippocrates*²⁾ tradit, qui linguam tremulam pro signo *non constantis mentis* habendam esse dicit. Quibus omnibus exitii signum est, neque minus, si cum nimia alvi solutione accidit³⁾. Sin cum narium rubore est, crisin salutarem vel per haemorrhagiam ex naribus vel per vomitum praenuntiat. Nonnunquam linguae tremor aut ab animi pavore aut ab aestu febrili aut ab incitamentis externis fortuitis aut a vehementibus corporis motibus, e. g. vomitu, oritur, in quem animus attendatur, haud ita dignus est. *L. tremula et convulsa*, cum qua vox etiam tremula, stridula, intercisa reddita est, pessima est, quia sanguinem cum impetu ad caput congeri cerebrumque distendere et premere indicat ideoque phrenitidem, deliria, convulsiones, nervorum resolutionem, diaphragmatis affectionem, pleurae inflammationem praesagit, ita ut praeter mortem nihil sit augurandum⁴⁾.

¹⁾ *van Swieten* ad aph. *Boerhavii*. § 1063.

²⁾ Praedict. libr. I., S. I. pag. 472.

³⁾ Coac. praed. T. I. §. 3. pag. 542.

⁴⁾ *Boehmer* l. c. pag. 266.

3. DE LINGUA HABITU.

L. nimis aucta. Lingua non tam saepe, quam aliae corporis partes, voluminis subit mutationes. Quae tamen si eveniunt, in aliis casibus maximum, in aliis minus, in aliis minimum portendunt periculum; quin etiam interdum contingit, ut lingua nimis aucta ad salutifera symptomata sit referenda, si suppurationem decretoriam, a *Grunero*¹⁾ sic dictam promittit, id quod sperandum est, quando cetera suppurationis salutaris signa non desunt²⁾. Non periculosum, nisi alia signa metuenda interveniant, est volumen linguae solito majus, quod in infante modo edito jam adest; hic enim *Fieni* verba valent, qui: „quae sunt ex natura, ait, pro malis non sunt habenda”³⁾ et *van Swieten*⁴⁾ puellam noyerat, cui lingua tantopere aucta fuit, ut extra os intra mentum penderet, integerrimis tamen deglutitione, loquela et gustu. Neque plus imminet periculi, si linguae moles medicaminibus quibusdam assumptis aucta est, e. g. hydrargyro, cuius effectus in linguam magis molesti sunt, quam periculosi. Carnosis excrescentiis vel pituitae accumulationibus linguam tumefieri non levioribus signis adnumerandum est, cum processus reproductivi degenerationem in lingua apparentem, aliis partibus non parsitaram esse verisimile sit. Lingua tumida, si a glossitide oritur, nequaquam est securo animo conspicienda, praecipue vel angina vel aphthis glossitidi consociatis, cum multos jam, ut ait *Prosper Alpinus*⁵⁾ suffocatos dimiserit; praeterea lingua tumida periculosa est, si in variolis, in insultibus hystericis, post graviores ventriculi et pulmonum morbos, post linguae resolutionem apparet, cum, rigida simul et halbutiente lingua, vehementi sanguinis ad caput impetu cere-

¹⁾ I. c. pag. 487 et pag 598.

²⁾ Klein. interp. clin. pag. 174.

³⁾ Semiotice, sive de signis medicis tractatus, Lugd. 1664.
pag. 100.

⁴⁾ Comment. ad *Boerh.* aph. 55.

⁵⁾ De vitae et mortis praesagiis, pag. 319.

brum male affectum et spasmos et delirium procreatū iri praesagiendum sit. Pejoris etiam notae est *l. aucta* et *sicca*, quae, manducantium more, perpetuo motu versatur et plerumque ex ore *exporrecta* est, nam febrem saevientem, sitim immānem, horrendam, praecipue pulmonum, inflammationem indicat. Omnium vero pessima est *l. aucta et nigra*, quae plerumque in febribus putridis accedit neque quidquam nisi mortem instantem praenuntiat.

L. nimis imminuta vilius est symptoma, nisi cum aliis periculosioribus signis conjuncta est. Si molliet et flexibilitatem retinet, nihil nisi nutritionem corporis diminutam nuntiat. Rigida vero et *contracta* febris vehementiam, aestum internum neque raro spasmus tonicum manifestat. Maxime est metuenda lingua, quae, paullo ante tumida, subito decrescit et infra volumen solitum recedit¹⁾ quoniam spasmi repente invadentis est signum.

L. mollis simulque *humida* sanitatis integrae esse solet, quare laetam spem praebet, si in morbis acutis justo criseos tempore et ceteris signis criticis comitantibus apparet, nam transpirationem salutarem, aestum mediocrem, inflammationem nullam aut longe minimam subesse docet²⁾, praesertim si sordes, linguam antea obtegentes, defluere coeperunt. Neque minus in morbis chronicis salutaris significatio tali linguae tribuenda est. *Hippocrates*³⁾ in hydrope eam pro fausto omine accipit. Sin autem non oportuno tempore, signis criseos principibus, sudore et urina, indole critica non praeditis, lingua mollescit et humectatur, si utique nausea, alvi resolutio, sudores frigidi coincidunt, in infaustis magis, quam in prosperis signis collocanda est et *Hippocrates*⁴⁾ vomitum nigrum ex ea exspectat et *Pe-*

¹⁾ Coac. praed. §. 3.

²⁾ *Gruner* l. c. pag. 599.; *v. Swieten* l. c. §. 739.; *Schaarschmidt*, Semiotik, herausg. v. *Nicolai*. S. 484.

³⁾ Praedict. II. 11. pag. 542.

⁴⁾ Coac. praed. §. 2. pag. 542.

zold¹⁾) plenariae toni fibrarum extinctionis et gangraenescentis putridaeque diatheseos suspicionem habet.

L. dura, quae simul *sicca* esse solet, humores, quo minus ad linguam afflant in eamque secernantur, impediri patefacit. Inflammationes internae per talem linguam denudantur, in primis si urina simul ignea et sitis insatiabilis est. *Febres nervosas*, febres exanthematicas, dysenteriam, si nondum luculenter agnosci possunt, talis lingua, quae pura etiam et rubra est, extra dubitationem ponit. *Februm ardentium et phrenitidis familiarem comitem Gruner*²⁾ talem linguam vocat. Ubi lingua adeo sicca est, ut *adusta* vocari possit, neque tamen aegroti de siti queruntur, typhomania adest et maximum periculum imminet, quemadmodum in omnibus casibus, in quibus symptomata non inter se consentiunt³⁾.

*L. sicca, adusta, crusta subnigra obiecta*⁴⁾ morbum gravem, eventum funestum, gangraenam incipientem indicat⁵⁾. Sin inflammatione lingua sicca, frigida est, perniciem ominatur; sin calida et aspera, in principio periculum vitae magnum, in statu minus⁶⁾.

*L. praesicca*⁷⁾ in febre ardente et angina inflammationem externam et suffocationem propinquam denunciat. Tabidorum propriam linguam talem esse Hoffmann⁸⁾ docet.

L. aspera, scabra. Linguae asperitudo altior ejus

¹⁾ De prognosi in febribus acutis, specimen semioticum pag. 134.

²⁾ I. c. pag. 600.

³⁾ Coac. praed. §. 2. pag. 542., *Hippocrates*, Epid. I. Sect. 3. et Epid. III. Sect. 1.; *Avicenna*. Libr. 4. cap. 38.; *Prosper Alpinus*. I. c. pag. 344.; *Rega. Methodus medendi* pars II. cap. 5.

⁴⁾ Lieutand. Precis. T. I., Sect. 1., Hoffmann, Ratio medendi T. 4. Sect. 1. cap. 11., §. 5.

⁵⁾ v. Swieten, Comment. ad Boerh. aph. §. 901.

⁶⁾ Gruner I. c. pag 601. Hipp. Epid. III. Sect. 1.

⁷⁾ Hipp. Epid. III. Sect. 3.

⁸⁾ Hoffmann I. c. T. 4. cap. 1

siccitatis gradus est, qui tum oritur, cum linguae papillae eriguntur et rigescunt, quo fit, ut intervalla magis subsidunt. Ista asperitudo vehementes spasmos adesse aperit, quibus papillarum vasa constringantur ¹⁾). Talis lingua igitur non tantum criseos spem tollit, sed vehementissimas nervorum affectiones, convulsiones, deliria ominatur. In febribus inflammatoriis et nervosis lingua haud raro scaberrima est, in pneumonia notha, qua, ubi febres catarrhalis epidemicae sunt, senes corripi et confici solent ²⁾), quia excretiones criticae propter spasmum, qui, ut supra demonstratum est, linguam asperam reddit, evenire nequeunt. Pessimi ominis est lingua, subito aspera, livida et scissa evadens, quae paullo ante mollis et humida et coloris subsistentis ³⁾ apparabat. Linguae asperae species hae sunt:

L. inaequalis plerumque evadit a partiali squaloris accumulatione, quae haud scio an a partiali vasorum excernentium actione efficiatur.

L. dimidiata s. bisulca haud ita raro inflammationum aut febrium dijudicationis aut saltem remissionis brevi ingressurae spem nobis injicit, attamen ne illa spe secure fretus sis moneo, cum ipse *Hippocrates* mucum album et crassum, media vel extrema lingua obductum, ad eventum certe haud infelicem sperandum adeo necessarium dicat, ut, quo crassior ille mucus, eo propinquior dijudicatio sit. Nam „et si linguae, ait ⁴⁾), bifurcum velut saliva alba obducitur, sique in summa lingua hoc etiam contigerit, minus tamen; siquidem parva haec exstiterit, ad tertium diem morbi remissio exspectanda est; si vero aliquanto crassior, in crastinum, si autem adhuc crassior, eodem ipso die.” Talem linguam inflammationis dijudicationem nuntiare o. *Swieten* eo elucidare conatur, quod linguae crustam, inflamma-

¹⁾ *Sprengel* l. c. S. 159.

²⁾ *Sprengel* l. c.

³⁾ Coac. praed. §. 2.; *Gruner* l. c. pag. 600.; *Sprengel* l. c. S. 159.

⁴⁾ De dieb. jud. §. 2., vertente *Foesio*.

toria siccitate effectam, paullatim solvi et ablui docet.

L. bullans et vesiculis obsessa, pustulosa, linguae, cauterio actuali affectae, speciem praebens, primum degenerationem indicat saliva, quippe quae non amplius blandum linguae tegumentum sit eamque ab ori ingestorum acrimonia defendat, sed ipsa eam corrodat; deinde saliva aliorumque humorum in linguam secernendorum canales interclusos denotat. Quibus vero linguae bullantis causis semper pulmonum aut canalis intestinalis morbus subest; halitus nimirum, vapores et exspirationes, ex illis organis assurgentibus, corrosivam edunt qualitatem; quare, lingua bullosa occurrente, illorum organorum semper rationem haberi necesse est. In morbis acutis difficilem morbi dijunctionem, die decimo quarto demum per sanguinis sputa praenuntiare dicitur; interdum autem, praesertim si una livet et alia mala signa adsunt, mortem proximam.

L. fissa, rimosa, ex cuius rimis nonnunquam sanguis aut humores rodentes emanant. Nonne talis lingua maximum nobis injicere debet timorem, quoniam periculum est, ne ista linguae tensio, quae eam findere potuit, in totum vasorum systema etiam transgressa, omnes secretiones retineat vel prorsus tollat? Ex immodica autem tensione istas fissuras enasci, jam eo comprobatur, quod in morbis acutis in primis appareat, in quibus nimia organorum secretiorum contentio functiones eorum turbat et humores corrumpit, unde, ineunte febre putrida, lingua fissa appetat; in variolis etiam et in dysenteria funestum symptoma est, si lingua fissa una cum spasmis aut sopore adest.

L. villosa existere solet, si substantiae excretoriae, in linguam ejectae, intervalla solummodo, quae papillas disjungunt, illas ipsas papillas vero non obtengunt. Modicam igitur secretionem talis lingua designat, quia substantiae secretae non nisi secretionis loco se ostendunt, nam linguae vasa secretoria in primis inter papillas resident. Sani ceteroquin homines, ventriculo nimis impleto aut victu irregulari, talem linguam ostendunt et tum fere semper urina turbida, mucosa excernitur, quare *Spre-*

gel¹⁾ apte *Hippocratis* dictum assert: „lingua urinae naturam significat.” Frequentius videlicet villosa est lingua hominum invalidorum, partium abdominalium asthenia et obstipationibus mucosis laborantium, arthriticorum igitur extra paroxysmos, arthritide atonica, infantum, febre gastrica, helminthiasi, scrophulosi aegrotantium, hypochondriacorum et haemorrhoidariorum. Haud raro lingua villosa habitualis est, quamquam obstipationes mucosae in partibus abdominalibus non adsunt et tum eximiam organorum secretoriorum laxitatem commonstrat. Quae lingua autem, si in morbo quodam accidit, pertinacem ejus diuturnitatem aut morbum secundarium vaticinatur, e. g. in febribus intermittentibus placentas febriles, hydropem. *L. villosa* in morborum inflammatoriorum stadio incrementi obveniens, abnormem inflammationis decursum et mancam ejus dijudicationem enunciat, quia in illo stadio lingua pura, arida esse solet. Pleuritis ideo vel pleuropneumonia, lingua villosa eas comitante, aut chronicæ evadunt aut in hydrothoracem abeunt.

L. pilosa, qualis observandæ occasionem Portal²⁾ habuit, qui eam cachexiae scorbuticae effectum existimabat, quoniam pili rigidi, quinque lineas longi, saepius frustra decisi, antiscorbuticis demum remediis adhibitis, non rursus proyenerunt.

L. ulcerata. Quae ulcera in lingua cernuntur, ea, nisi potentiss, vel mechanicis vel chemicis in linguam efficientibus effecta aut, ut puta aphthae, ab humorum digerentium corruptione procreata sunt, plerumque a cachexia universum organismum corripiente, enascuntur, e. c. ulcera carcinomatosa.

¹⁾ l. c. S. 164.

²⁾ Cours d'anatomie médicale, Paris 1814. T. IV. S. 507.

VITAE CURRICULUM.

Ego HENRICUS FRIDERICUS MUENNICH anno MDCCCVI die Martii XXVI, patre HENRICO MUENNICH, matre e gente WALHERIANA, utrisque mihi, pro dolor, morte jam erectis, Oscaniae natus, atque evangelicae confessioni addictus sum.

Artibus litterisque, quas tractare solent pueri, scholis partim publicis, partim privatis imbutus sum. Tum Philosophiae doctore LEHNERT Halberstadiensi scientiarum, quae ad studia medica opus sunt, praceptor usus sum.

Mense Aprili MDCCCXXVI Berolinum me contuli, ubi a Rectore Magnifico Illustr. BOECKH in civium academicorum numerum receptus et ab Illustr. LINK, t. t. facultatis medicae Decano, medicinae studiosis adscriptus sum. Ex quo tempore his Illustrissimorum viorum preelectionibus interfui:

Illustr. RITTER de logice, Illustr. TURTE de physice, chemia et pharmacia, Illustr. WEISS de mineralogia, Illustr. LICHTENSTEIN de zoologia, Illustr. HAYNE de botanice, Illustr. LINK de historia naturali atque pharmacologia. Omnia, quae ad anatomiam, tam theoreticam, quam practicam pertinent, Illustr. KNAPE et Illustr. RUDOLPHI me docuerunt. Physiologiam Illustr. RUDOLPHI, pathologiam generalem Illustr. ECK et pathologiam specialem Illustr. HECKER mihi tradidere. Encyclopaediam medicam, artem formulas rite concinnandi et medicinam forensem ab Illustr. CASPER accepi. Ex preelectionibus Illustr. BARTELS pathologiam et therapiam specialem, Illustr. FR. HUFELAND therapiam generalem et specialem haus. Illustr. HORN de morbis mentis; Illustr. OSANN de auxilio in subitaneis vitae periculis;

Iis ferendo; Illustr. BARTELS de Hippocratis aphorismis; Illustr. WAGNER de medicina forensi disserentes audivi. Ad materiam medicam Illustr. OSANN, ad omnes chirurgiae disciplinas Illustr. KLUGE, Illustr. RUST, perinde Illustr. JUENGKEN, ad artem obstetriciam Illustr. DE SIEBOLD me instituerunt. Tum instituta clinica Illustr. C. W. HUFELAND, Illustr. BARTELS atque Illustr. DE GRAEFE, Illustr. RUST, Illustr. KLUGE frequentavi.

His igitur viris Illustrissimis, si quid est in me doctrinae, hanc praesertim debere gratissima mente confeitor summamque in aeternum recolere gratiam intimo laetor laetaborque animo.

Jam tentaminibus, tam philosophico quam medico et examine rigoroso coram gratioso Medicorum ordine rite sustentatis, spero, fore ut, dissertatione et thesibus defensis, summi in medicina et chirurgia honores in me conferantur.

THESES DEFENDENDAE.

I.

Epithelium internae non solum oesophagi, sed ventriculi etiam et intestinorum planitiei indutum est.

II.

Acrimoniae sanguinis morbosae sunt statuendae.

III.

Nullus morbus est hereditarius.

IV.

Inflammatio non adest, nisi functio organi affecti laesa est.